

CANCELL:  
MARTIS B:  
. 1.7 17:.



oo Da

DECANUS  
FACULTATIS PHILOSOPHICÆ  
LIPSIENSIS


AD

SOLENNEM  
XXV.

MAGISTRORUM  
RENUNCIATIONEM

*D. XI. FEBRUARII A. O. R. M DCC XII.*

OFFICIOSE AC DECENTER  
INVITAT.



## I. N. J.



Vod variis rebus usu venire videmus, ut eis plus, quam par est, vendicari soleat; idem quoque animæ humanæ evenire, atque illi justo majores vires à non paucis tribui comperimus. Ut enim taceam, quosdam docuisse summum Trinitatis Mysterium argumentis e ratione petitis firmiter probari: (a) imo totum, quod Deus est, ratione humana comprehendi: (b) vitam hanc absque omni peccato trans-

(a) E Pontificiis idem asserunt *Raymundus Lullus* lib. quem vocat *Apostroph.* & lib. de *demonstrat. æquiparantiæ*, nec non lib. *sentent.* in princip. *Henricus de Gandavo* quodlib. 8. quæst. 14. *Richardus de S. Victore* de *Trinit.* lib. 1. c. 4. *Raymundus de Sabunde* *Theol. Natur.* tit. 46. inf. & tit. 47. ab init. *Gerfon* *Alphab.* 13. litt. H. Quibus e Reformatis accedunt *Keckermannus* in *Syst. Theol.* 1. 1. c. 3. p. m. 72. & 76. *Mornaus* de *Verit. Relig. Christ.* c. 5. p. 53. & 6r. *Claubergius* *Disp.* 2. & sqq. de *Trinit.* *D. Nicolaus Smiterus*, qui dispp. citatas *Claubergii* compilasse, & pro invento proprio, edita meditatione, quasi septima quædam cum *Cartesii* sex compingenda, orbi obtulisse, à *Petro van Mastricht* Novit. *Cartes.* sect. post. cap. 17. p. 310. accusatur, <sup>1</sup>*Nebemias Grew* in *Cosmolog.* sacra c. 1.

(b) Quod olim somniavit *Petrus Abailardus*, de quo *Episcopi Gallix* & *S. Bernhardus* ad *Pontif. Rom. Innocentium* apud *Frisingensem* cribunt: *P. Abailardus Christianæ fidei meritum evacuare niti-*

transigi (c) ac legi divinæ ex asse satisfieri posse: (d) in præ-  
senti tantum de infallibilitate, quam Cartesius (e) cum suis  
(f) affectis voluntati tribuere non erubescit, quadam in me-  
dium

);( 2

---

*rum, dum totum, quod Deus est, humana ratione arbitratur compre-  
hendere.*

- (c) Quod finxerunt Cathari, vide *Prævoluum* in Elench. Hæret. l. 3. p. 124. Donatistæ apud *Augustinum* lib. contra Petilianum de Unit. Ecclesiæ c. 14. Opp. T. 7. p. m. 540. & in Epist. 48. p. 177. sq. it. Epist. 50. p. 224. Opp. Tom. 2. Pelagiani, ap. *Hieronymum* in Dialogo adversus eosdem & *Augustinum* lib. de perfect. q. 1. & epist. 106. Begardi ac Beginæ, teste Celeb. Dn. *Calvoerio* in *Fisuris Sionis* l. 4. c. 1. §. 2. num. 1. p. 380. Anabaptistæ quidam, inde quoque Catharorum nomen adepti, vide modo laudatum *Calvör.* l. c. l. 15. c. 1. §. 7. p. 412. & §. 17. num. 27. p. 428. qui de eis in priori loco refert, quod ob impeccabilitatem, quam sibi tribuerant, Orationis Dominicæ quintam petitionem omiserint.
- (d) Præter adductos in litt. c. qui cum omnimodam à peccato immunitatem asserunt, necessario quoque perfectam legis impletionem statuerent coguntur, huc referendi Papistæ: Vid. *Concil. Tridentinum* sess. 6. can. 18. *Bellarmin.* de Rom. Pontif. lib. 3. c. 23. antith. 6. lib. de Monach. c. 13. lib. 4. de Justific. c. 10. & c. 13. Servetiani ap. Dn. *Calvör.* l. c. l. 16. c. 3. §. 2. num. 14. p. 446. Sociniani: Vid. B. *Scherz.* in Colleg. Anti-Socin. Disp. 38. p. m. 314. sqq. & B. *Calovium* in Socinismo p. 267. Arminiani, *Limborchius* in Theol. Christ. l. 5. c. 79. p. 696. seqq. Geisteranus ap. B. D. *Alberti* in interesse Relig. p. 223. *Schvvenckfeldiani*, vide *Schvvenckfeld.* de abusu Evangel. Weigeliani, conf. *Weigel.* in Postill. part. 2. p. 240. Novatorum plurimi; Vid. *Anonymum* in Considerat. status intermedii animæ post discessum p. 20. *Volckmayer* in Considerat. Annotation. Zachar. Götzens contra *Arnoldi* Histor. Hæret. p. 578. sq. *Anna Catharina Scharfshmidia* in maxime necessario opere Regenerat. p. 94 & 112. Muhammedani in *Alcorano* Azoar. 4. & 5.
- (e) Meditat. 4. Opp. p. m. 23.
- (f) *Claubergio*, *Heidano*, *Wittichio*, *Burmanno*, *Malebranche*, *Antonio le Grand*, *Bassecourtio* à me in Program. Magist. 1708. ci.

dium afferre placet. Cum enim ante quadriennium in Programmate, quo ad solennem triginta novem Magistrorum invitavi renunciacionem, Cartesianorum opinionem, qua Intellectum ab erroribus proprie sic dictis absolvere cupiunt, sub Examen breve revocarim, non alienum quid me facturum esse putavi, si jam paucis inquirerem: An hominis voluntati ejusmodi competat Facultas, qua si recte utatur, sibi cavere possit, ne unquam in errorem incidat? Ne autem Cartesio illiusque sectatoribus injuriam ullam fecisse videar, non abs re erit, loca quædam ex iisdem in medium adducere. Satisclare vero mentem suam mihi exprimere videtur *Cartesius* (g) quando scribit: A quocunque tandem simus, & quantumvis ille sit potens, quantumvis fallax: hanc nihilominus in nobis libertatem esse experimur, ut semper ab iis credendis, quæ non plane certa sunt & explorata, possimus abstinere; atque ita cavere, ne unquam erremus. Atque alio in loco (b) inquit: Quamvis eam in me infirmitatem esse experiar, ut non possim semper uni & eidem cognitioni defixus inhære- re, possum tamen attenda & sæpius iterata meditatione effi- cere, ut ejusdem, (quod non judicandum sit nisi de rebus clare & distincte perceptis) quoties usus exiget, recorder, atque ita habitum quendam non errandi acquiram. Et post pauca interjecta ait: Nec hodie tantum didici, quid mihi sit cavendum ut nunquam fallar, sed simul etiam quid agendum ut assequar veritatem. Eadem prorsus apud Cartesii æstimatores legere licet. Ita enim *Braunius*: (i) Cum  
Con-

---

tatis *Braunius* in Doctrina Fœderum Vol. I. part. 2. c. 5. n. 17. p. 103. & *Schotanus* in quæst. ad primam Philosoph. qu. 7. superad- di possunt.

(g) in princip. philosoph. part. 1. §. 6. p. m. 2.

(b) in meditat. 4. p. m. 26.

(i) in doctrina Fœderum l. c.

“Conscientia errare non possit, & cum omne id, quod clare  
“& distincte percipimus, necessario verum sit, *satis* quoque  
“*patet, hominem sibi posse cavere ne unquam erret*, modo sibi  
“caveat, ne judicet de re non clare & distincte percepta. Ipse  
quoque *Burmannus* (k) discrete ait: Cum autem semel ha-  
“beamus facultatem non assentiendi iis, quæ obscura & dubia  
“sunt, *clarum pariter est, nos posse cavere ne unquam erre-*  
“*mus*, si modo assensum abstinenceamus ab iis, quæ non clare &  
“distincte percipimus. Cum autem erramus, illa jam no-  
“stra culpa est, per quam facultate à Deo nobis data non recte  
utimur. Nec non *Claubergius* (l) signate scribit: Non  
“videmus quid obstet, quo minus eo nobis liceat adspirare,  
“ut accurata sæpiusque repetita industria memoria no-  
“stræ tam firmiter imprimamus dictam regulam, de ignota  
“causa non esse judicandum, & ejus ubi opus est, saltim in  
“decretis philosophicis condendis, animum subeat recorda-  
“tio. Quo quidem exercitio usum & facilitatem quandam à  
“falso iudicio, circa res naturali rationis lumine pervestiga-  
“biles, abstinendi nos acquisituros esse nulli dubitamus. Ne-  
scio itaque qua veritatis specie ipse *Schotanus* (m) postquam  
propofuisset quæstionem: An possimus, modo velimus, ca-  
vere ab omnibus erroribus, scribere audeat: Hæc objecta  
“Cartesio ejusque sectatoribus criminatio affinis est præceden-  
“ti, quam affinxerunt Philosopho, eum jactitare, omnia &  
“singula clare & distincte ab hominibus percipi posse: sed  
“veluti illa mera mentis sensusque Cartesii perversio fuit, ita non  
minor & hæc impostura est. Licet enim Schotano concede-  
dere velim, Cartesium facultatem cavendi ab omnibus  
erroribus ad omnia objecta indistincte non extendisse, cum  
alio

(k) in Synopsi Theolog. l. i. c. 24. §. 19. p. m. 138.

(l) Lect. 10. ad Cartesii Medit. 4. Opp. philosoph. p. 434.

(m) in quæst. ad primam philosoph. q. 7. p. 340.

“alio in loco (n) expresse pramoneat: Nullo modo agi de  
“peccato vel errore, qui committitur in perfectione boni &  
“mali; sed de eo tantum, qui contingit in dijudicatione  
“veri & falsi; idque non in iis, quæ ad fidem pertinent,  
“vel ad vitam agendam, sed tantum ad speculationes & so-  
lius luminis ope cognitæ veritates: ipse tamen Schotanus  
mihi rursus concedere cogetur, Cartesium in reliquis omnibus,  
quæ ab ipso non excipiuntur, voluntati nostræ facultatem non  
errandi tribuisse. Proposita Cartesianorum sententia multis  
quidem ostendi posset, eosdem asserentes voluntatem omni  
errori nuncium mittere posse, sibiimet ab errore non satis ca-  
visse; sed sufficet in præsentî illud assertum Cartesianorum  
unica ratione erroris redarguisse. Cartesiani certe, ni mani-  
festæ veritati contradicere velint, fateri coguntur eruditissi-  
mos quosque & perspicacia insignes viros de una eademque  
re, quam se clare prorsus atque distincte percepisse firmiter  
persuasi sunt, adversam plane fovere opinionem; cum ve-  
ro utraque vera esse nequeat, luculenter satis patet, volunta-  
tem, licet non nisi de re clare atque distincte percepta ju-  
diciûm tulerit, ab errore sibi cavere haud potuisse. Quam-  
vis autem nobis, quamdiu in hac vita sumus, tam felici-  
bus esse non liceat, ut ab omni errore immunes veritatis se-  
mitam semper teramus, nullum tamen dubium est, quin mul-  
ta errorum præcipitia, si modo debita providentia utamur,  
facile evitare possimus. Quam ipsam quoque Viri Juvenes  
natalibus, eruditione & moribus conspicui, quibus Ordo Phi-  
losophorum lauream Magisterialem conferre statuit, non in-  
felici successu sibi hæctenus commendatam habuerunt, & in  
posterum, ut bene confidimus, habebunt. Sunt autem se-  
quentes, juxta ordinem, quem ipsis Baccalaureatus, aut an-  
tiquior

---

(n) in Synopsi meditat. 4. p. m. 3. seq.



tiquior in matriculam Academiae nostrae Inscriptio tribuit,  
collocati:

CHRISTIANUS Gotthold LAURENTII,  
Wehla-Misnicus.

JOANNES GERHARDUS Stöckhardt/  
Putschavia-Misnicus.

JOANNES HENRICUS Hillebrand/  
Medzericensis Polonus.

DANIEL ROSENFELDIUS, Lipsiensis.

CAROLUS GODOFREDUS WINCK-  
LERUS, Lipsiensis.

CHRISTIANUS HENRICUS KOEPPE,  
Horburgo-Misnicus.

CHRISTIANUS Gottlob Meinig/Lipsiensis.

JOANNES CASPAR Gottschalck / Vra-  
tislaviensis.

JOANNES CHRISTOPHORUS Lehmann/  
Goedavia-Misnicus.

CHRISTIANUS Thalmann/ Tennstadiensis.

JOANNES GODOFREDUS Riemschneider/  
Martisburgensis.

JOANNES GVILIELMUS Schönfelder/  
Eybenstochio-Misnicus.

JOANNES DANIEL Kießling/Graiza-Variscus.

JOANNES OSWALDUS Knauer/Gera-Varisc.

JOANNES AUGUSTUS OLEARIUS,  
Sangerhufa-Thuringus.

CHRI-

CHRISTIANUS Gottlieb NITSCHIUS,  
Muscovienſis, Scholæ Gubenenſis Con-Rector.  
JOANNES FRIDERICUS DRECHSELIUS,  
Lipſienſis.  
JOANNES AVGUSTUS RIVINUS, Lipſienſis.  
JOANNES FRIDERICUS FREISLEBIUS,  
Glauchavienſis.  
JOANNES CHRISTIANUS DIPPOLTUS,  
Offitienſis Miſnicus.  
ABRAHAMUS GODOFREDUS Winter/  
Linda-Miſnicus.  
PAULUS Schober / Vratiſlavienſis.  
CHRISTIANUS DAVID Sadewaffer/  
Stargardia-Pomeranus.  
JOANNES Gotthilff Boekerodt / Hala-Saxo.  
JOANNES SAMUEL PLOEDNERUS,  
Salfeldenſis Thuringus.

Quam ſolemnitatem ut Magnificus Academiae RECTOR,  
Proceres utriusque Reipublicae Ampliſſimi Spectatiſſimique,  
nec non lectiſſima Studioſorum Concio perhonorifica atque  
exoptata ſua praſentia condecorare velint, debita obſervan-  
tia & humanitate rogito, eximium hoc benevoli affe-  
ctus ſpecimen omni officiorum genere  
demeriturus.

---

*Literis* JOH. ANDREÆ Zſchau.

99 A 6989

ULB Halle 3  
002 824 795



56,

Retra ✓





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.



23

CANUS  
SOCIETATIS PHILOSOPHICÆ  
IPSIIENSIS  
AD  
ALEXANDER  
XXV.  
ASTRORUM  
DECLARATIONEM  
FEBRUARII A. O. R. M DCC XII.  
SE AC DECENTER  
INVITAT.

